Hedoto

21

JOSEPHO MARIÆ PACHER

ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ PROFESSORI

IN SEMINARIO VICETINO

ARCHIPRÆSBITERALEM ECCLESIAM NOVENTÆ

PRIMUM ADEUNTI

ELEGIAM HANC

SEPTEM OLIM DISCIPULI

LÆTITIÆ ERGO

D. D. D.

VICETIÆ

TYPIS PARONI

MDCCCXLIV.

DE VITREIS LENTIBUS

ELEGIA

Luce nitente nitet species pulcherrima rerum,
  Et color et species luce cadente cadit.
Ipse etiam moriens lucis suspirat amore;
  Quærit hians anima diffugiente jubar.
Infelix nimium curisque obnoxius atris,
  Cui torpent lenta lumina mæsta die.
Lucis inops dulces sensim vanescere visus
  Ingemit heu sensu deficiente senex.
Parcite crudeles tenebræ suffundere noctem:
  Detur inextincto lumine posse frui.
Fallor? an attonitis pandens miracula sæclis
  Mens nova felicem callida præbet opem?
Aspice: convexo tenuis lux tradita vitro
  Emicat, ignifluo flammea et imbre coit.
Ægros dein subjecta oculos fovet indita virtus,
  Clarius et gemino lumine lumen inest.
Prospicis ipse novo terras fulgore decoras;
  Nescius expleri prospicis usque magis.
Fervet et aggreditur cæptis felicibus audax
  Mens ante ignotas carpere docta vias.

En tubus Uraniæ vigilis sacra templa recludens,
Cui vertex lævi fulget uterque vitro.
Quo feror? intendens acies trans cærula mundi
Ultima prospectu metior astra meo.
Quæ cœlum radiis moles vibrantibus ornant,
Quot fulvis lucent sidera mixta choris!
Cernis ut ingenti flammantem corpore solem
Certa circumeunt astra minora vice?
Hæc vario obliquus cohibet curvamine trames,
Lentus et ingenuo constitit ore nitor.
Si juvat arcanos naturæ discere mores,
Invida quos oculis enituisse vetat,
Dædala ut humanos æque confinxerit artus,
Quas mira cœcas duxerit arte vias,
Sanguinis et flexus sævique exordia morbi
Conspicor, et fibras, vincula, vela, sinus.
Impercepta patent latebris obducta profundis,
Perque vitrum majus pondus habere putas.
At parte ex alia fervescit in imbrice pulvis;
Tenuia perpetuo membra sopore latent.
Inspersa exiliunt, languentque carentia lympha
Rursus et injecta membra cientur aqua.
Tum choreas imitata natant, mirabile visu!
Versantur celeri corpora parva rota.
Quid nunc Parrhasii mirer, quid Zeuxidis artem?
Nescio quod majus luce coruscat opus.

Hic domus umbra silet, rerumque resultat imago
  E speculo, et vitreum trajicit inde tholum.
Subdita nativas ostentant lintea formas:
  Pingitur ante oculos patria terra meos.
Hac molli surgunt florentes vertice colles;
  Hac riguus placido perfluit amne Reron.
En nova converso speculo miracula rerum:
  Quam pulchra est oculis patria terra meis!
Oh nunquam pereant suavis spectacula lusus;
  Heu cur occiduus, sol, decus omne rapis?
Quid queror? en tabulæ rerum non discolor icon
  Figitur atque diu non peritura manet.
Hic veris poteris similes deducere vultus;
  Non hoc, artifices non valuere manus.
At nova quæ mundi species, quæ fallit imago?
  Quæ parit innocuus somnia blanda dolus?
Per vitrum terras specto, cœlumque recedens,
  Templa, domos, silvas, flumina, saxa, lacus.
Externos videor populos urbesque tueri:
  Per vitrum effuso lumine cuncta nitent.
Nec minus alliciens magicis appicta figuris
  Lusibus omnigenis scena beata patet.
Ut sparsa aulæis variata coloribus adstant,
  Exhibet immissa monstra lucerna face.
Pariete nunc niveo mixtas illudere larvas,
  Nunc reor adversa bella movere manu.

Hæc primo tenuis, subito dein corpore major
  Imminet: horrifico percutit ora metu.
Instant, diffugiunt celeri cita corpora cursu:
  Lætifica plaudens voce caterva fremit.
Omnia quis præsens artis portenta referre,
  Quæ post sera dedit tempora clara dies?
At vos, nunc melius, nautæ, committite ventis
  Carbasa, nec tumidi terreat ira maris;
Si nigræ incumbens hiemis super ingruat horror,
  Nullus aget vitrea noxius error ope.
Nam procul a summa nutantia lumina turre
  Ducent instabiles per freta longa rates.
Solvite: longinquis compendia quœrite in oris,
  Narrate et miræ gentibus artis opus.

Philipp. Giaretta